



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. Quid, & quotuplex sit impedimentum Matrimonii?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## C A P U T I V.

*De impedimentis Matrimonii.*

§. I. *Quid & quotplex sit impedimentum Matrimonii?*

**M**atrimonium hīc præcipuē consideratur in ratione contractū, & per consequens impedimentum matrimonii est, omne illud, quod impedit contractum matrimonii.

Impeditur autem duobus modis, nempē quando redditur nullus, vel quando illicitus.

Impedimenta matrimonii etiamsi directè solum afficiant contractum, indirectè tamen, & ex consequenti afficiunt ipsum Sacramentum, cùm contractus sit materia illius.

Impedimentum matrimonii dividitur in impedimentum dirimens, & in impediens tantūm.

*Dirimens dicitur, quod efficit matrimonium invalidum, & nullum. Impediens tantūm, quod non efficit invalidum, sed illicitum.*

Princeps sacerdotalis ex natura rei potest constitutere impedimenta matrimonium dirimentia, si matrimonium in ratione contractū consideretur: Ex quo tamen matrimonium ad rationem Sacramenti elevatum est, Ecclesia facultatem ejusmodi impedimenta constituendi sibi voluit reservatam, ut ex praxi perpetua, & traditione fidelium constat.

Impedimenta dirimentia recensentur his verbis:

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,*

Aa 2

*Culz*

atria  
n est,  
radit  
eddit  
dum  
  
itatis  
s, ne  
lo re-  
t?  
e de-  
licitè  
urna-  
e vel  
liam  
ritus  
&  
over,  
è di-  
, te  
ficia,  
nul-  
or-  
n

CA.



*Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas;  
Si sis Affinis, si Clandestinus, & Impos,  
Si Mulier sit rapt a loco, nec reddit a tuto:  
Hac socianda vetant connubia, facta retractant.*

**§. 2. Error, Conditio, Votum,  
Cognatio, Crimen.**

**E**rror huc pertinens assignari solet quadruplices: videlicet Personæ, ut si putas te contrahere cum Joanna, & contrahas cum Antonia: Fortune, ut si putas te contrahere cum divite, quæ tamen est pauper: Conditionis, ut si conjux putetur libera, quæ tamen est serva: Qualitatis, ut si putas te contrahere cum nobili, & est ignobilis.

Error dividitur in antecedentem & concomitantem. Antecedens est, qui est causa actus, & in eum influit, ita quidem ut absque illo non poneretur actus: concomitans vero, qui non est causa actus.

1. Error personæ jure naturæ dirimit matrimonium, quia illo posito, deest verus consensus.

2. Error qualitatis, sive accidentium personæ de se, & ex natura rei non irritat matrimonium, quia accidentia personæ non sunt objectum contractus, sed ipsa persona, in quam similiter consentit.

Nota 1. Conclusionem non esse intelligendam de errore qualitatis, qui est antecedens, quia si contrahens ita sit animo affectus, ut ad contrahendum merè moveatur à qualitate personæ, quam existimat subesse, & nolit contrahere nisi qualitas sub sit, deest consensus, si qualitas non ad sit.

Nota